

V I R O  
*NOBILISSIMO ET ERUDI-*  
*TISSIMO*  
**JO. WOODWARD,**  
Medico & Philosopho acutissimo  
in Collegio Greshamensi Professori  
Societatis Regiae Socio

S. P. D.

JOH. HENRICUS LINCK.



On terrebit Musas Tuas hic  
crocodilus , acutissime  
Woodwardi. Neque enim  
e Nilo canibus hominibus-  
que formidandus, sed ex  
mediis Germaniæ mon-  
tibus venit. Quanquam nec ejus magnitu-  
dinis

X

dinis est, ut valde ab eo quis metuerit. Ego  
vero Tibi eum consecro, cum quod omnium  
callentissimus harum rerum arbiter sis, tum  
ut gratum Tibi animum tester, qui ex Tuis  
divitiis Museum nostrum non mediocriter or-  
nasti. Lapis est ex fissilium nigricantium ge-  
nere, quos vernacula *Schiefer* appellamus. In  
longitudinem 2. ped. Rom. vet. & 8. poll. ex-  
tenditur. pondere 94. libr. Lips. æquat. Me-  
dium secat animalis spina dorfi, cum reliquis  
tenuium costarum, ejusque omnes articuli  
facile dignoscuntur. (a. a. a.) Conspicua est ni-  
gredine sua, eaque reliqui lapidis colorem vin-  
cit. Alicubi tamen (dd) dissecto lapide ex-  
cussa fuerunt ossium fragmenta: idque in  
lapide prodit coloris diversitas. Qua in ca-  
put desuit, abruptus est lapis, ita ut pars tan-  
tum capitis (f) conspicatur. Forte & in in-  
tima parte non nulla desunt. Agnosces præ-  
terea ossa scapulæ duo, (bb) & tres pedes,  
(ccc) quorum singuli in 5. digitos secantur,  
digiti singuli in 4. articulos, in uno tamen 5.  
articulos discernere datur. Penes caput alia  
figura conspicitur, (g) quam partem inferio-  
rem piscis cuiusdam interpretor, quem in  
eandem cum hoc sceleto massam casus con-  
jecit

jecit. Ceterum superficiem lapidis violavit  
passim ferrum fossoris, quas notas lit.(h.) in-  
dicat.

Lapis repertus est in montibus Thuringiæ prope Sulam, qui cupri feraces sunt. Unde erutus etiam fuit alius lapis, simile animal referens, quem celebris quondam Medicus Berolinensis *Christianus Maximilianus Spennerus* possedit. Delineatur in Tom. I. *Miscellaneorum Societatis Berolinensis*, atque inde a callentissimo naturæ *Scheuchzero* Tuo, in querelis & vindiciis piscium, aliisque Auctòribus, *Valentino & Bütnero*, qui vernalculo sermone hos diluvii testes interpretati sunt, sed diversa paululum figura repetitus est. Verum noster & magnitudine vincit, & ipsum animal accuratius exhibet, cui Tu, Vir Nobilissime, novam veluti vitam, formamque felicibus conjecturis dabis. Vale, & divisus studiis inter medicam & literariam rem, utramque diutissime orna. Dab. Lipsiæ cIɔIɔccxviii.  
Prid. Id. Apr.

